

14

I. N. D.
DISSERTATIO ACADEMICA

DE

SECRETIS SOCIETATIBUS LITTERARIIS,

QUAM

*Consensu Ampliss. SENATUS Philos. in Reg. Acad.
Aboënsi,*

PRÆSIDE

M^{AG.}. JOHANN E
BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

Publico Examini subjicit

CAROLUS EKMAN,

Medelpadus,

In AUDITORIO MAJORI Die III. Junii
Anni MDCCCLXXIL

ABOÆ

Impressit JOHANNES CHRISTOPH. FRENCKELL.

BRUKS-INSPECTOREN,

HÖGACKTAD

HERR CARL EKMAN,

MIN HULDASTE FADER.

Min tanka vore den orimeligaste, om jag skulle tilskrifva Min Huldaste Fader desså blad, som någon flags betalning för all den mōda och omkostnad, Min Huldaste Fader haft ospard på min upfostran; hålst de åro oråknelige, och hvad har jag som kan svara dåremot? Ty då jag åstadkommit hvad jag kunnat, har det varit det minsta af hvad min skyldighet fordrar.

Uptagen dock denna förstling af mina Academiska öfningar, såsom et vedermåle både af en med forgällighet anvånd ungdoms tid, som oek af den vórdnad, hvarmed jag, under dageliga förböner för mina Huldaste Föräldrars beständiga välmåga, har hugnaden at altid förblifva

MIN HULDASTE FADERS

Ödmjuk-lydigte Son
CARL EKMAN.



PRÆFATIO.

Quamvis Eruditi nec nervos ingenii intendere desinant, nec consiliis atque præmiis scientiarum pomæria promovere intermittent; docet tamen multiplex experientia, quod ubi in singulis ad certum pervenerint gradum, adeo difficile sit ultra eniti, ut industria humana, saltem quoad temporis intervallum, eludatur. Contingit hoc non solum in illis, quæ cognitionem humanam respiciunt, sed etjam in aliis quoque negotiis. Sic agrorum fertilitas debita cultura insigniter augeri potest, ita ut opimam illi quotannis producant messem; sed adiungit quoque hic naturales quasi fœcunditatis termini, ultra quos eadem prorogari nequit, quicquid demum moliantur agricolæ. Enimvero hujus in regno naturali phænomeni causas indagare atque exponere non nostri est instituti; Sicut nec nobis id tribuimus, ut plene explicare valeamus, cur tantæ spei molimine procedant litterarum incrementa. Agnoscimus ingenium nostrum esse admodum finitum, adeoque non mirum esse, si meditationum suarum arctos valde quisque experiatur fines.

nes. Insuper Providentia Divina uti in aliis negotiis
humanis, ita quoque circa lenta litterarum incrementa
sece luculenter prodit. Si enim limites disciplinarum
semper ex arbitrio promovere possent Eruditii; probabi-
le est, quod ulteriori acquirendæ cognitioni ita continuo
inhärent, ut, quæ sciant, ad praxin transferre pleri-
que negligenter. Non dissimiles illis Heroibus, qui no-
vas semper anhelant victorias, novasque imperio suo
annectunt provincias; non vel per momentum considere-
ntes, nec suam, nec civium felicitatem in imperio la-
tissime patente consistere; quorum vero ferocia alios
subjugandi consilia si quando sufflaminentur, in seipso
redeunt, & cives suos si minus gloria rerum gestarum
illustres, ipso tamen opere magis felices reddunt. Ita
etiam aliquantis per impeditus disciplinarum gradus fa-
cit, ut Eruditii, quæ detexerunt momenta, magis magis
que perpoliant, perpolitaque sensim sensimque ad pra-
xim non sine insigni generis nostri commodo transfe-
rant. Interim tamen Eruditos esse negotiosos oportet,
& tam ignorantiae tenebras dispellere, quam faculas jam
accensas clariiores reddere, ut devia vitiorum tam ipsi
effugiant, quam alios huc aberrantes in rectam virtutis
femitam dedicant. Quo in egregio negotio Societates
litterariae utramque faciunt paginam, ubi divisa inter
plures communi consilio agentes opera, propagandis,
perficiendis & applicandis ad usum scientiis ac discipli-
nis pro cuiusvis Sociorum genio seria atque constans
cura impenditur.

§. I.

Dividi & possunt & solent Litterariæ Societates in
Publicas & Secretas. Illarum membra non solum publi-
co annuntiantur, verum etiam quum quis Sociorum
quid-

quidquam detexerit, vel elucubraverit, quod ex cæterorum suffragiis albo calculo excipi meretur, inventoris atque auctoris nomen apponitur, ut gloriae fructu, qui in hoc negotio est præcipuus & ferme unicus, protinus perfruatur. Interdum quoque membra harum societatum ex Principum munificentia amplissimis gaudent stipendiis, ut sic scientiis promovendis omnem operam atque industriam impendant. In societatibus autem secretis, membra earum extra circum ipsius Collegii ferme ignorantur; adeoque gloria vel inventionis vel elucubrationis alicujus argumenti directe non potiuntur, ne dum ulla industriae expectare possant præmia. Illæ, publica id est, Principis auctoritate plerumque coalescunt eademque fulciuntur, *in His* autem privati homines nobili hoc proposito congregantur, ut Litteras humaniores atque disciplinas practicas conjunctis viribus ac consilijs promoteant, satis multum sese lucratos existimantes, si generi prodesse queant humano, & maturos eidem præpинent fructus, quos ex ignotis colligere datur manibus: apibus itaque non dissimiles, quorum videmus opera, non operas.

§. II.

Quum itaque tam nobili proposito convenienter pri-
vati, queri potest, quamobrem membra harum Socie-
tatum se sedulo occultent, seque sua involvant virtutem? Hoc præter rationem non fieri, quisque fatebitur, qui modo ad levitatem ingenii attenderit humani. Sicut per dona rationis a brutis animantibus homo præcipue distinguitur; ita quoque his excellere quisque adeo dis-
cupit, ut quicquid potius ferat, quam stupidam sibi in-
dolem objici. Immo nonnulli adeo in transversum ra-
piuntur, ut, quicquid aliis tribuitur, sibi adenitum putent;
quare merita illorum admodum extenuant, ne vel la-

tum unguem a pristina decidisse dignitate videantur. Id
 quod eo usque valet, ut in considerationem saepe ve-
 niat, non quid fuerit propositum, sed quis argumentum
 quoddam proposuerit; qui si fortuna minus benigna u-
 tatur, quod plerumque fieri solet, omnes Momis calu-
 mnias atque injurias experiri cogitur. Jam haeresis in
 allato fingitur scripto, jam cum talate publica illud ad-
 versa pugnat fronte, jam antiqua tantum, obsoleta &
 nemini fere ignota in medium adfert, jam iterum sty-
 lo non satis eleganti, egregio aut florido est consignatum.
 Contra ea si Auctoris nomen nemo subodorari queat,
 solum argumentum ejusque tractatio in censum veniunt;
 quod quia prudentiorum Collegii examen dudum susti-
 nuit eorumque tulit suffragia, plures habet Socios, qui pro-
 posita dogmata tamquam propria defendunt. Immo dum i-
 gnorantur Societatis membra non adeo proclive est ferram
 contentionis reciprocare, quum Momus nesciat, quos &
 quales habeat adversarios; Sed credet, sibi rem futuram
 non cum solis Philosophis, qui non aliis instructi armis
 quam calamo esse solent; verum saepe etiam cum Mæcenati-
 bus & Proceribus, qui & volunt & possunt suorum in
 stadio Litterario sociorum caussam agere, ne invidiae te-
 lis praeter meritum opprimantur. Hoc tamen minime
 impedit, quominus Lector quilibet, propositum quodvis
 argumentum rigidæ subjiciat censuræ, & tam momen-
 torum pondera exploret, quam in styli venustatem in-
 quirat, publicoque significet, quicquid in utroque casu
 moneri queat; ita tamen ut controversia non verbalis,
 sed realis evadat, & omnes aculei, qui pugnantium pe-
 ctora sine ullo Litterarum commodo exagitant, in cas-
 sum cadant. Præterea id utilitatis habent Secretæ So-
 ciетates Litterariae, ut singuli socii aliorum opem atque
 consilia haud difficulter impetrant, quoties de discipli-
 nis vel promovendis vel poliendis negotium agitur &
 familia-

familiariter adeo cuncta aguntur, quasi ad eandem familiam omnes pertinerent. Nec enim nimis multi sunt socii, quo facto lites atque contentiones facile existerent, quum suam quisque pravalere sententiam cuperet, nec nimis pauci, quomodo laboribus sibi pro rata injunctis unusquisque sufficit? Nec hoc loco erit reticendum, quod tam Publicis quam Secretis Societatibus Litterariis, quæ propter membrorum ingenii acumen, probitatem, modestiam atque exactum commendantur examen, talia mittantur specimina, quæ vel perquam curiosa vel cæteris elegantiora habentur, quorum perlustratione animus sciendi cupidus tantam sentit voluptatem, quantam modica non præstant præmia.

§. III.

Postulet forte quispiam a nobis, ut internam Societatum Litteriarum, quæ Secretæ habentur, constitutionem hac occasione exponamus; sed quomodo, quæfo, id præstaremus, quum de occultis ne quidem Ecclesia, ceu dici solet, judicet. Attamen quum ex effectu ad causam tuto plerumque argumentari liceat, in genere colligimus, membra hujusmodi Societatum in disciplinarum atque virtutis culturam utrumque intendere oculum. Interim quum nulla omnino societas consistere possit sine certo ordine, hunc tanto magis in Societatibus Litterariis modo nominatis necessarium existimamus, quod inter socios in conventibus perfecta sit æqualitas nec munerum dignitas, sed rationum firmitas in censum veniat. Hinc ad similitudinem Societatum publicarum opus habent Directore, cuius munus vel perpetuum est, vel ambulatorium, adeo ut forma reipublicæ hujus litterariæ sit ferme Democratica, singulis sociis ad clavum regiminis per reliquorū suffragia successive

cessive adscendentibus. Dubitamus vero, an aliud sit Directoris munus, quam quod tempora conventus indicet, specimina elucubrata examini eorum, quorum interest, committat, nec non alia, quæ ad decus atque salutem Societatis conducant, agenda proponat. Quandoquidem etiam nihil extra circum Societatis abque hujus consensu evulgari debet; necesse videtur, ut locii vel præstito jurejurando vel saltē verbis honoris sese obstringant tam ad silentium negotiorum temere non evulgandorum, imprimis ad reticentiam Sociorum, quam ad certa officia præstanta, sine quorum observantia Societas nec consistere nedum florere potest. Forte etiam in quibusdam Societatibus Secretis certi sunt gradus & certa graduum insignia, quorum tamen extra sollemnes conventus nullus est usus. Atque hoc ferme modo Secretæ Societates Litterariæ nobis, quibus in mysteria earum introspicere non licuit, obveniunt, dum inde temporibus negotiorum consideramus; si vero rem acu non tetigerimus, innoxia tamen, uti speramus, habebitur allata conjectura.

§. IV.

Quoniam opera nostra jam in eo versatur, ut Societates Litterarias, quæ Secretæ nuncupantur, quoddammodo adumbremus, statim observamus, tales etiam apud antiquos populos a remotissimis inde temporibus invaluisse. Sic in Ægypto, multarum olim disciplinarum Patria, *Collegia tam publica*, quam *Secreta* fuisse, refert Michaël MEJERUS (*a*) eum in finem instituta, tum ut communem utilitatem per excultas promoverent disciplinas, tum etiam ut *secretiora* & non omnibus *propalanda* in conventibus suis expenderent. STRABO etiam observat, celeberrimā & antiquissima hujus generis Collegia fuisse & *Thebis* & *Mempbis*, quibus qui prærant

rant, ~~τερραπομπαῖς~~ appellabantur. Musæum ALEXANDRINUM quoque toto orbe quondam fuit celebratissimum, in quo conveniebant viri ob eximum ingenii acumen conspicui, quorum operibus, quæ temporum injuriis non perierunt, & post tot sæculorum decursum suus adhuc constat honos. Præcipue autem Secretæ ejusmodi Societates Litterariæ apud Græcos, Ægyptiorum imitatores, fuerunt variæ, diversis insignitatæ nominibus. Huc referendum est *Eumolpidarum* Collegium, de cuius mysteriis agit CLEMENS ALEXANDRINUS (*b*). In hoc collegium admittebantur tam fœminæ, quam viri, immo ipsi excercituum Duces. Ex legibus (*c*) hujus Societatis colligi potest, quod perpetuo silentio arcana, ibi celebrata, involverentur, & quod ad tale silentium jurejurando sese obstrinxerint. Imprimis ad arcanas Societates referebantur *Eleusinia*, de quibus CICERO, qui ipsemet his fuit initiatuſ, testatur: *Illiſ mysteriis vitæ principia cognoscimus, nec ſolum cum lætitia vivendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi* (*c*). Erant autem horum diversi gradus & variæ per multas molestias atque cruciatus præparations, antequam quis ad ultimum Eleusinorum actum, ſeu ad iplam autopsiam admittebatur, quas ceremonias in hunc modum describit LA PLUCHE: *Autopsie étoit comme le dernier acte de cette représentation. Après une nuit affreufe, des éclairs, des coups de tonnerre & une imitation de ce que la nature a de plus triste, la férénéti qui ſuccedoit enfin laiffoit paroître quatre personnages, magnifiquement vétus & dont les habits étoient tous mystérieux. Le plus brillant, & qu' on nomme ſpecialement l' Hierophant, ou celui, qui révèle les saintes choses, étoit habillé de manière à repréſenter Le Demiourge, l' Etre qui conduit l' univers &c.* (*d*). Post haec Hierophantes significacionem totius apparatus reconditum initiandis aperuit. Non

est, quod quis sibi persuadeat, hæc arcana tantummodo
recepisset ceremonias Religiosas, negari enim nequit,
qui simul incrementum cognitionis humanæ sibi pro-
positum habuerint; quem in finem alia Secretæ Societa-
tes Litterariæ apud Græcos fuerunt, quorum imprimis
referimus PYTHAGORÆ Scholam. Hinc & silentium
illud quinquennale, quo discipulos suos probabat, an-
tequam ad sublimiora admittebantur, quæ Mathematici-
orum nomine veniebant, & quæ clare atque perspicue
remotis Symbolorum involucris omnia Philosophiaæ Se-
creta de DEO & Natura, quantum novit ipse, explicuit;
nihil magis inculcans quam hoc: *μὴ εἴναι πέστις πάλιος
μάντη πότε,* ceu in decimo *παρθενικῶν ὅμων* libro refert
Aristoxenus. Ipse Pythagoras & *ἀπέρρητα λόγια Φιλοσοφίας*
Philosophiaæ arcana scripsit, non sane eo fine ut omnibus
publicarentur, quum arcana ea nominaverit. Jurare e-
nim oportebat ejus Discipulos, se aliis quam Pythagori-
cis Pythagoricae disciplinæ libros non vendituros, ceu
memoriae prodit Tzezes (e). Denique ut alia reticea-
mus, Collegium Magorum in Persia celebratissimum fuit, cu-
jus conditor habetur ZOROASTER (d). Sociorum autem
præcipua erant officia, ut Astronomiam vel rectius A-
strologiam excolerent, unde factum, ut occulta quævis
scientia, famoso *Migie* nomine postea insignita fuerit.

(a) In Tractat. Apolog. pro Fratr. Ros. Crucis. (b)
Strōmat. Libr. I. C. 5. (c) In libro II. de Legibus. (d) Vide
l' Histoire du ciel Tom. I. p. 497, & MEURSII Eleusin
Cap. 13. (e) Chiliad. x. n. 335. (*) Leges Collegii Eu-
molpidarum exhibet Mich. MEJERUS I:o ut singulis annis
certo die conventus fieret initiatorum, 2:o ut Eumolpidæ ibi
semper Sacerdotes haberentur & sacerorum Præsides 3:o ut
Caftissimæ vitæ, vitiis immaculatæ reciperenetur in Societa-
tem illam, tam fæminæ quam viri. Hinc nec Imperato-
res

res postea initiari volentes admissi sunt, si vitiis essent contaminati. 4:0 ut perpetuo silentio arcana ibi celebrata involverentur, juramento praestito. Hinc nihil in orbe secretius, quam Eleusinia sacra, habitum fuit. 5:0 Ut die conventus sacro, quatuor figuræ pro ceremoniis portarentur, nempe DEI Creatoris ab Antistite Hierophante; solis a facifero; Lunæ a Ministro ad aram, & Mercurii a præcone Sacrorum. Habuit autem antistes Eumolpida auream Clavem, linguae adaptatam, silentii notam. Et quatuor figuris & ex cantilena allegorica, de Dracone Tauri parente & Tauri Draconis parente aliisque quæ heic prolixe adducit Mejerus, facile de arcans ipsiis institui conjectura intelligentibus potest.

§. V.

Enimvero non solum apud Gentiles receptæ fuerunt Secretiores Societates Litterariæ, verum etiam apud illos, quibus DEUS puriorem Sui cognitionem, quam quæ ex solo rationis lumine hauritur, benigne concessit. Sic in Veteri Testamento, arcana fuisse & paucis revelandam variarum rerum ad cultum Divinum pertinentium notitiam constat, non solum ex articulorum fidei paucitate, qui ex libris antiqui foederis colliguntur, sed etiam ex obscuro illo tenebrisque involuto revelandi modo, quo non nisi per Leviticarum ceremoniarum umbras primaria fidei dogmata nosse datum erat. Quis præterea ignorat, quod in locum Templi, Sanctum Sanctorum nuncupatum, introire nemini fuerit permisum, nisi Pontifici Maximo & solo quidem expiationis die; prout etiam in Sanctum nulli intrare licebat, præter sacerdotes, quorum ibi requirebatur opera. Imprimis autem notum est, quod in Ecclesia primitiva Christiana invaluerit *Disciplina* sic dicta *arcani*, ceu ea docendi methodus, qua infidelibus olim & Catechumenis, uno

verbo, qui per baptismum in Ecclesiæ communionem nondum erant intromissi, non nisi veritates practicæ primaque fidei fundamenta, quibus sua hactenus servabatur simplicitas, relictis paulisper mysteriis rationis humanae Sphæram transcendentibus, eisque quorum cognitio animos potius a Christiana veritate alienos reddere & inflare, quam ad fidem persuadere atque emendare poterat, proponebantur. Quare invaluit distinctio inter *τὰ κηρύγματα* seu ea, quæ licita erant publicare, & *τὰ δίγυματα* seu ea quæ silenda erant. Maxime vero observata fuit Disciplina arcani, quum S. Eucharistia celebraretur, ad quam quum Catechumeni olim non admitterentur, paullo antequam Sacerdos ad mysterium hoc peragendum fæse accingeret, acclamabatur populo: μή οὐ τὸν καληχεῖν εἴτε, μή οὐ τὸν αἰρεωμένον, μή οὐ τὸν αἴτιον, μή οὐ τὸν ἐπεγδόθεν, οὐ τὸν πεωλήν εὐχόμενον πεσείγετε, item αἴτιον εἰς τελέσεις; quæ disciplina ideo videtur introductory, ut majori cum reverentia omnes ad Sacram Cœnam accederent. De cætero fundamenta hujus disciplinæ jacta videntur ævo Apostolorum, viguitque ipsa inter Christianos a Sæculo II ad Sæculum VII usque, cœu multi opinantur (*a*). Hinc de *PLINIO* constat, quod licet per tormenta a Christianis quæsiverit, quid mylteriorum peragerent, nihil tamen fere invenire potuerit, quod *TRAJANO* Imperatori narraret.

(*a*) *Vide C. M. PFAFFI Differt. Postcr. de Praejudiciis Theologicis pag. 142 seqq.* (*b*) *Vid. Epistol. Libr. X. Epistol. 97.*

§. VI.

Præter has modo nominatas & in rebus gravissimi momenti occupatas Societates Litterarias, fuerunt etiam & sunt aliæ, in quibus jucunda gravibus permiscentur eum

eum in finem, quantum quidem conjicere licet, instituta, ut honesta ratione profint simul atque delectent. In his plerumque accedit, ut postquam argumenta propria fuerint discussa, atque, sicut decet, elucubrata, partem conversationis reliquam impendant socii vel oblectamentis vel joco-seriis vel inventis artificium lustrandi, immo nonnunquam vel prandiis vel choreis duendis vel etiam Musicorum concentibus. Talium indicia etiam apud veteres reperire licet. Hi enim symposia sua eo animo frequentabant, non ut, teste ESCHEN-BACHIO, gulae ventriique servirent, sed honestis sermonibus aliquando etiam de rebus gravissimis inter fercula atque pocula sese invicem oblectarent (*a*). Sequenti tempore magnam per totum fere orbem famam consecuta est Societas, quæ Gallice *Frane Maçons*, Svetice *Fri-Murare* nuncupantur. Quanto pauciora sunt, quæ de isthac Societate certo sciuntur, tanto plura de eadem conjectati sunt multi, & ubi nihil subodorari potuerunt, ibi vitiorum omnium illecebras atque infidos sierenum scopulos delitescere, sibi atque aliis persvaferunt, quicquid arcani habetur, aterrimo carbone notantes. Ex nostra autem sententia præstat de occultis tacere, quam præpostere judicare. Alii, qui humaniores, mirati sunt, tum quomodo hæc Societas in numerum Sociorum recipere subinde potuerit tales, quorum vita non usque quaque probata esset, tum quod hi mysteria sibi concredita non promulgaverint. Enimvero non Societatis culpa esse videtur, quod quidam Socii vitiis indulgeant, quippe his non obstantibus aliis aliisque inclarefcere possunt meritis. Alterius momenti hæc esse potest causa, scilicet Societas hæc variis constare videtur ordinibus, & qui in infinitis hærent gradibus, parum vel nihil sciunt, quod temere evulgatum curiositatem aliorum moveret. In superioribus autem sunt viri, qui annos probatio-

tionis rite sustinuerunt, quique societatem suam tanto
 amplectuntur amore, ut ab honore atque conscientia sua
 alienum putent, aestimationem Sociorum turpi garrulita-
 tis nota violare, seque illa indignos reddere. Quod ad
 internam hujus Societatis constitutionem attinet, quatuor
 accepimus ejusdem principia generalia 1:o *Time DEUM,*
 & quidem juxta tenorem Religionis, in qua educatus es. 2:o *Obe-
 diens esto Magistratui* 3:o *Honor a parentes* 4:o *Promove scienti-
 as atque artes.* Unde apparet, quod argumenta quæ vel Religi-
 onem vel Regionem seu statum Politicum concernunt, in hac
 Societate non ventilentur. Attamen in horum Socio-
 rum conventibus discutiuntur, uti fama est, varia pro-
 blemata & arduæ quæstiones, quæ vel ab ipsis propo-
 nuntur Sociis vel forte in publico agitantur, quæ tamen
 præcipue concernunt vel studia humaniora vel etiam
 artes. Hæc omnia & alia quæcunque rariora habentur
 vel antiquitatis vel ingenii vel denique industriae docu-
 menta sollicite colliguntur & in Archivis eorum ser-
 vantur, inde depromenda, quoties quis necessariam ali-
 cujus rei notitiam petat. Dolendum tamen est, quod pau-
 ca admodum hujus Societatis opera, si elegantes quas-
 dam orationes, in sollemnibus habitas confessibus, exci-
 piamus, in publicam haec tenus lucem prodierint. Quod
 si contingat, ut disceptationes in quadam Classe (Loge)
 existant, quæ componi non possunt; controversiæ decisio
 defertur cuidam superiorum Classium, id quod tamen
 rarius contingere perhibetur. De cetero in hanc Socie-
 tam non admittuntur nisi viri tantum, nec illi omnes
 atquæ promiscue, sed qui ingenio, acumine, vel aliis
 meritis valere putantur. In conventibus omnia decen-
 ter atque graviter peraguntur, adeo ut omnes exprobra-
 tiones & objurgationes habeantur illicitæ & pro re nata
 pecunia mulctentur. Interdictæ quoque sunt interruptio-
 nes sermonum omnibus, præter Præsidem. Nulla ibi

mu-

munerum dignitatis ratio habetur, sed singuli subsellia sua occupant juxta seriem ordinis, quo in societatem fuerunt recepti. Quilibet sociorum modicam pecuniae summam pro sua adoptione Societati offerre tenet; pecunias vero ita in commune collatas impendere dicuntur partim illis Sociorum sublevandis, qui meritis quidem inclarescunt, sed praeter suam culpam adversa premuntur fortuna, partim orphanotrophiis in sustentationem & educationem liberorum expositorum exstruendis, partim etiam hilariis suis, quibus finem terriis quibuslibet negotiis imponunt, celebrandis. Quod denique ad ceremonias attinet, quæ circa adoptionem novi socii obseruantur, illæ huc ferme redeunt. Postquam quis alicui Sociorum significavit, se desiderare in hunc cooptari ordinem, Praeses post octiduum convocat Socios, quibus significat, quod N. petierit in eorum recipi Societatem, postulatque eorum suffragia, quibus impetratis, omnibus in æde rite adornatis, introducitur initandus sollemni modo, eique brevis habetur oratio, per quam admonetur, quod hæc via, quæ jam ipsi panditur, ducat ad veritatem & genuinam libertatem. Post hæc Secretarius Societatis ipsi tradit quædam Ordinis insignia, scilicet Pil'eolum, Supparum & albas Chirotheas, (*Móssa, fjörte, och hvita hänskar*), & hoc facto ad Præsidem ipsum dederit, a quo accipit Lingulam edolatam, (*Murslaf*) cum exhortatione, ut eadem sedulo utatur, in exstruendo veræ felicitatis templo, quæ solidæ virtutis cultura fundari debet. Cætera silentio præterimus, quæ qui scire gestit, legat Annårdningar vid *Svånska Post-Tidningar An. 1738. N. 33. seqq.*

(a) *Vid. Libr. de Sympoisii Sapient. p. m. 288.*

§. VII.

A Societate modo memorata multum differre videatur alia Societas Litteraria, Holmiæ haud ita pridem instituta, quæ Symbolo *UTILE DULCI* distinguitur. Est hæc quoque inter Secretas Societates referenda, quatenus tam Socii, quam ipsius statuta ad publici notitiam nondum pervenerint. Innotuit tamen, quod isthæc Societas in tres distinguatur Clas̄es pro diversitate rerum, quibus occupantur Socii, sed quæ classes paris omnino dignitatis habentur. In prima harum Socii strenuam impendunt operam Litteris humanioribus promovendis, partim rariora documenta, Historiam Patriæ impri- mis concernentia colligendo, partim etjam Poësin excolendo Svecanam. Accepimus quoque dudum industriae horum Sociorum luculenta specimina, aliquot operum volumina, quæ salivam certe movent omnibus, qui has depereunt delicias. Et quid ni moverent, quum hisce elucubrandis operam impendant Viri tam Eru- ditionis quam exasciati ingenii fama celebratissimi. Qui in altera sunt Classe in eo operam collocant, ut Musi- cam tum vocalem quum instrumentalem indies gratio- rem reddant; quare etjam statis diebus & quidem fre- quenter convenient, ut s̄vavissimo eodemque probato modulamine sese exercitatiores reddant. Tertiam deni- que Classem constituunt magistri artium cultiorum, uti Pictores, Sculptores, Statuarii, aliique, & tam sua exami- nanda proponunt opera, quam aliorum sibi proposita ex- aminant. In generalibus Societatis conventibus nul- la harum classium habetur distinctio, sed ordinem re- ceptionis tantummodo inter se observant Socii. Quælibetrur- sus classis variis distinguitur gradibus, in quibus singu- lis uti Socii variis gaudent honorum insignibus, ita di- versâ illis incumbunt officia, & diversis vicissim fruun- tur

ur iuribus; illis tamen extra Societatis conventus uti, minime fas est. Habet præterea quælibet Classis suum Directorem, qui agenda vel deliberanda proponit, sed hitamen tres Directores cedunt Præfidi totius Societatis. Si forte contingat, ut Socii inferiorum graduum in controversiis dirimendis aut judiciis ferendis inter se non convenient, negotium ad concilium Areopagiticum, uti dicitur, defertur, cujus summa in his casibus censetur auctoritas. Quælibet Classis per suum Directorem commendat Societati eum, quem in suum recipi ordinem cuperet; qui rursus, impetratis suffragiis, in robur societatis vel modicam pecuniæ summam in commune confert, vel pro re nata gratis adoptatur.

§. VIII.

Hoc denique loco non est reticendum, quod in hac Urbe nostra Societas quædam Litteraria Secreta nuperime fuerit instituta, quæ ob affinitatem operum sororio plane vinculo cum Societate illa Holmensi, quæ *UTILE DULCI* nuncupatur, conjungitur. In quo opera Societatis hujus Aboënsis versetur, satis colligitur ex scripto typis evulgato, in quo nobile suum propositum candide significat. Scilicet quum Magnus Finlandiæ Ducatus tertiam Regni Svio-Gothici partem constituat, ejusque Metropolis, Aboa puta, si Holmiam exceperis, plura illustria comprehendat Collegia, quam ulla alia Sverhiæ Civitas, Viri quidam diversi Ordinis, qui ingenio pollent, inter se convenerunt, ducti communi studio de hac nostra dulcissima sive Patria sive Nutrice bene merendi, ut, quantum aliorum munerum ratio concederet, operas suas amice conjungerent in eis eruendis atque elucubrandis, quæ tam ad pleniorum Finlandiæ cognitionem pertinent, quam quæ cives nostros delectare & juvare possint.

possint. Sociis igitur incumbit, tam studia Humaniora, quam alias gentii humano utilles scientias, eas imprimis, quarum immediatus in vitam communem est influxus, pro viri excolete, adeo ut & prodeesse & delectare jugiter studeant. Atque ut in Synopfi tantum exhibeamus eorum operas, hoc eo redeunt, ut carmina varia, aliaque meletemata, quae virtutem culturam concernunt, tum varia Finlandiae fata, rariora ejusdem monumenta, res in his locis gestas, Biographias quoque virorum de hoc Magno Ducatu bene meritorum, Oeconomiam, hujusque eniuationem, adminicula & impedimenta, mores atque instituta diversarum gentium, circa Finlandiae comprehensarum, nova Litteraria, recensionem Librorum utilium &c. &c. exhibeant, ceu novellæ litterariæ Aboënses, quæ præterito anno prodierunt, & multorum manibus non sine eorum oblectamento atque usu teruntur, satis indicant superque. Et quoniam omnes ejusmodi Societas hoc commune habent, ut nemo in eas recipiatur sine solemani quodam actu; verisimile est, adoptionem quoque in hanc Societatem sine certis ceremoniis non fieri; Attamen quum Societas haec sit recentissima ritus illos, qui inter arcana referuntur, nemo adhuc subodorari potuit; quare etjam de ipsis differere im-
præsentiarum non possumus.

S. D. G.

